

2. de gen. & corrupt. Th. 55.56. Omnen generationem & corruptionem à cœlo derivat. & Meteor. cap. 2. ait, ideo regionem elementarem contiguam esse cœlesti, ut omnis illius vis hinc gubernetur. Hæc, inquam, Aristoteles, ut & illa quæ Watsonius adduxit, in genere. Ut verò magnus Apollo mihi erit Watsonius, si scientificam conclusionem ex iis quæ adduxit, elicit. Ita certum etiam est, Aristotelem in astris quoque de specialibus singulorum corporum proprietatibus non egisse, nec agere constituisse, adeoque eas conjecturas, & similia de generalibus, experientiæ specialium præferre, apud eos qui talia quotidie tractant, nihil est aliud, quam cum noctuis ad lucem allatam cœcutire. Ego ex plurimis exemplis, partim de me, partim de liberis meis ex duobus successive conjugiis satis fœcundis suscepisti, & præterea consanguineorum & affinium primi generis & horum omnium nativitatibus, nec paucorum conceptionibus, mortis etiam apud quosdam, ut & morborum, & subitorum quandoque symptomatum mutationibus & assaultibus cum astris tali tempore concurrentibus collatis, collegi, & pro indubitatis deprehendi, quæ in postulata atque axiomata, in Physica mea Aristotelica, redigi. Quæ, quia Watsonius, tam superbè contemnit, ignarus sine dubio, nec unquam sollicitus, quarta an quinta Luna concepti & nati sint liberi sui, & tūm hīc tūmpag. 324. vanis Astrologiæ judiciariæ commentis, sine omni examine annumerat, non potest meliori collyrio sanari, quam verbis quæ adjeci ad ultimum Axioma cap. 1. part. 2. Phys. Aristot. quæ ibi, si placet, videantur.

§. 4. Præterea alia qæstio est ; an ex similitudine aut dissimilitudine lineamentorum, addo etiam morum, temperamenti & similiūm, quæ à Planeta natalitio majori ex parte dependent, judicari possit de prole & ejus parentibus ? & alia, an tuto colligam, si similis sit patri vel matri tum Planetam natalitium paternum vel maternum, huic quoque natalitium fuisse & præ aliis fortiorem influendi conditionem habuisse, & contrà? Posterioris hoc plerumque, [semper dicere], nisi quia multorum hominum talia tempora necessariò me latent, audaciæ crimen metuerem] locum habere, affirmare non dubito, saltem ideo, quia plurima, exempla pro mea sententia, nullum verò unquam in contrarium mihi oblatum memini. De priori verò dico, si ad Planetam, qui neque patri neque matri natalitus fuerit, Luna in conceptione & nativitate per aspectum aliquem accesserit, præsertim